

nent: tamen eorum influentiam quempiam ad hoc vel illud peccatum inclinare: præter scripturarum auctoritatem affirmari, & falsò credi statuimus.

75. Testatur experientia, predictiones Astrologicas, quæ de singulorum propè anni dierum tempestatibus habentur, esse incertissimas: Quanto magis ea, quæ fortunas hominum ex astrorum positu prædicunt: vel mortem hujus vel illius Regis aut principis in individuo denunciant: vel huic aut illi regioni & civitati in specis quippiam ominantur: fabulosa omninò & gerris siccis vaniores sunt censenda.

76. Quid quòd Spiritus Sanctus hujusmodi predictiones omninò ut impias & profanas reijcit ac improbat: Ies. 47, 13. Ier. 10, 2. & solus Deus banc scientiam de futuris cujusque eventibus sua sapientia reservavit, Ies. 41, 23.

77. Ridet cum primis Genethliacorum ineptias D. Augustinus, lib. ad simplicium. Q. 2. Hæc verbis: Gemelli ex uno concubitu, diversarum sunt naturarum. Dicant ergo Genethliaci, cur, cum una fuerit conceptio, sub uno temporis puncto, sub eadem dispositione cœli & siderum, neque diversa singulis annotari possit: cur inquam tanta in illis gemellis fuerit diversitas. Hic prorsus nihil inveniunt, & facilè animadvertunt, si volunt, responsa illa, quæ miseris